



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis  
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad  
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In  
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

**Penzinger, Sebastian Heinrich**

**Solisbaci, 1698**

Disc. XXXI. Janua cœli aperta. Mariam patet securissimus in cœlum  
ingressus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)

## DISCURSUS XXXI.

*Maria Virgo Janua caeli est, per quam intramus.*

Exordium.

**E**X aulis Principum & Monarcharum hujus mundi, dona ac gratiarum munera mitti, ac portari per januas sive portas solent, donum omnium donorum maximum Christus est Filius Dei vivi, missus nobis à Patre caelesti supremo caeli, terræque Monarchâ de curiâ caelesti, certè non per alium, quàm per benedictam semper Virginem Dei Genitricem Mariam, ipsa ergo in veritate caeli est Janua, sive porta Domus, proportionatissimum est medium, per quod ad cubicula Domus pervenire potest homo: de habitatione caelesti dixit Christus. Joan. 14. cap. *In domo Patris mei mansiones multae sunt.* ad neutram harum pervenire possumus, nisi per Mariam, manet igitur Virgo benedicta caeli Janua, utilissimum medium, per quod intrandi nobis aliquando facultas erit, intravère, quotquot ibi caeli gaudia feliciter perfruuntur. Felices ac beatos testes agant SS. Patres.

SS. Patres.

*Maria dicitur Porta Caeli, & primò, propter hoc, quia ipsa Porta exportat, & importat, sic & ipsa dicitur Porta, quia per ipsam exiit, quidquid unquam gratia creatum, vel increatum in mundum venit: vel ideo, quia per ipsam intravit, quia quidam ad caelos ascendit, unde filius dicit de ipsa illud Sapientia. 7. cap. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illâ. inquit B. Albertus Magnus. in Bibl. Maria. lib. Apocal. Hac Domina mea misericordia Porta, Deus nihil gratia & virtutis, nihil spiritalis laetitia interna, habere nos voluit, nec dare decrevit, nisi per Mariam. scribit Dionysius Carthusianus. de Laud. B. V. lib. 3. art. 21. Ave Porta caelorum, & scala, ascensusque omnium, ave portarum caelestis Paradisi reseramentum. in clamat. & c.*

B. Albertus Magnus.

Dionysius Carthusianus.



phrem. serm. de Laud. B. V. *Maria effecta est Mater Dei,* S. Ephrem.  
*Paradisi scala, Janua cæli.* perorat S. Laurentius Justinianus. S. Lauren-  
serm. de Annunt. B. V. *Qua est hac porta nisi Maria, per* tius Justi-  
*quam Christus intravit in hunc mundum, quando virginali su-* nianus.  
*sus est partu, & genitalia virginis claustra non solvit.* mel-  
liffuè docet S. Ambrosius. lib. de Institut. Virg. cap. 7. *Maria* S. Ambro-  
*Virgo est Regina mundi, fenestra cæli, Janua paradisi, taber-* sius.  
*naculum Dei, stella maris, scala cælestis, per quam supernus*  
*Rex humiliatus ad ima descendit, & homo, qui prostratus jace-*  
*bat, ad superna exaltatus ascendit.* discurret S. Petrus Damia- S. Petrus  
nus. serm. 3. de Nat. B. V. *Nos imploratâ Spiritus sancti gra-* Damianus,  
*tiâ Portæ huic felicitatis æternæ, devotis Conceptibus propius*  
*accedamus.*

## CONCEPTUS I.

Infelices fuere quinque illæ virgines fatuæ, quæ licet Confirma-  
tio, seu De-  
ductio.  
non minus prudentibus ornaverint lampades suas, & oleum  
emerint pro lampadibus, ad cælestes tamen nuptias non sunt  
intromissæ; unâ quidem voce inclamabant sponsum dicen-  
tes: *Domine! Domine! aperi nobis.* Matth. 25. cap. intrandi  
verò facultatem non acquirebant, sed tristes repulsam inau-  
diebant. *Nescio vos.* Quænam hujus repulsæ est causa? Ra-  
tionem dicit textus. *Clausæ est janua.* Sed si sponsum, cæli  
Dominum inclamârunt, Domine! Domine! aperi nobis:  
cur ergo ille aperiri eis januam non jussit? Respondet S. Ber-  
nardus. serm. de Nat. B. V. *Redempturus humanum genus, pre-*  
*tium universum contulit in Mariam, alius ergo intuemini,*  
*quanto devotioni affectu eam voluerit à nobis honorari, qui to-*  
*tius boni plenitudinem posuit in Mariâ, ut proinde si quid spei in*  
*nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab eâ noverimus redun-*  
*dare.* Christus igitur animarum sponsum, cæli terræque Do-  
minus, totum jus suum transtulit in Mariam, neminem  
salvari volens nisi per Mariam, Mariam cæli terræque Domi-  
nam, gratiosam cæli Januam, effecit, quam si inclamando



virgines fatuæ pulsâssent, Domina! Domina! aperi nobis: certo certius per eam sibi misericorditer apertam, ad nuptias sponsi feliciter intrâssent, fatuitate enim notatus est sponsus, qui Matris Dei patrociniûm in terris rejecit, & vera ad Virginem Deiparam devotio, felicitatis temporalis omen est, & æternæ salutis auspiciûm. *Amplexare Mariam, qua est celestis porta, ipsa enim portat Regem gloria.* suadet Guilielmus Durandus. *Salus nostra in manu illius est.* Idiota. in Prologo de Contemplat. B. V. *Maria est fons, & origo omnis nostræ salutis, & felicitatis.* Richardus à S. Laurentio. lib. 1. de Laud. B. V. cap. 6. *Certa spes paradisi in corde ejus, qui devote veneratur Mariam, & qui dignè coluerit illam, justificabitur, qui autem neglexerit illam, morietur in peccatis suis.* S. Bonaventura. Opusc. de Pfal. B. V. *Devotio ad Mariam, certum indicium ac signum est predestinationis, sive prævisionis ad vitam æternam.* revelat Virgo ipsa Alano de Rupe in Zonâ Virginis. Unde concludit S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus. *Nemo est, qui salvus fieri possit, nisi per te, ô sanctissima Virgo!* confirmat S. Petrus Damianus. serm. 1. de Nat. B. V. *Nil tibi impossibile, cui possibile est, desperatos in spem beatitudinis relevare, nec ad æterni Judicis poterit perire conspectum, qui Genitricis ejus sibi providerit auxilium.* Ecce salutis medium, Janua cœli, Virgo Maria.

## CONCEPTUS II

Subveniat memoriæ nostræ historia Jacobi lib. Gen. cap. 28. notata, hic, dum in Mesopotamiam suam direxisset iter, in mediis campis tenebrosa nocte præoccupatus, ac somno jamjam aggravatus, acceptum lapidem capiti opposuit, & obdormivit; & ecce cœlum in somnis ipsi apertum, scalaque de terrâ in cœlum se extendens, ipsi demonstrata, per ipsam Angeli ascendentes, & descendentes exhibentur, imò Deus ipse ad summitatem scalæ residens, spectandum sese ipsi exhibuit. *Viditq; in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius*



illius tangens cælum, Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ. Surgente aurorâ evigilat Jacob, somnum excutit, visa recogitat, favorem meditatursibi à Deo factum, & in gratiarum actionem visionis exhibitæ subito manus labori accingit, acervum lapidum congregat, altare erigit Domino, fundit oleum desuper, encensia celebrat, domum Dei, & Portam cæli, locum illum intitulat. Cumque manè evigilasset Jacob de somno ait: verè Dominus est in loco isto & ego nesciebam, pavensq;, quàm terribilis est, inquit, locus iste, non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cæli. Quàm facilè, ô sancte Patriarcha! es immemor beneficiorum hâc nocte tibi præstitorum? Quomodo tam subito illius cœlestis scalæ, Angelorum ascendentium & descendentium, Dei in splendoribus sedentis, memoria evanuit? Cur ergo non scalam cæli, Angelorum ascensum & descensum, Dei in gloriâ sedentis ad scalæ caput, locum hunc nominas, sed dicis: Non est hic aliud nisi domus Dei, & Porta cæli? Mysteriorum aperuerunt. S. Augustinus. serm. 11. de Nat. Andreas Cretensis. Orat. 2. de Dormit. Virg. S. Joannes Damascenus. Orat. 1. dicentes: sanctum Patriarcham prophetico hæc egisse spiritu, illoque novo titulo, Domus Dei, & Porta cæli, quem loco & altari attribuerat, excellentiam & patrocinium Virginis, Dei Matris indicare voluisse, ac si diceret: habeas ô Christiane! continuo in corde tuo ascensum & descensum Dei Matris per hanc scalam figuratæ, intercessionis ejus potentiam, & sæpe sæpius recogita, quomodo Porta cæli sit, quæ nunc de cœlis tibi mittit auxilia, nunctuas preces de terrâ assumat, per hanc Portam Filio suo repræsentet, quæ petis, impetrat, & gratias denuò obtentas tibi demittat. Virgo hæc benedicta, quæ Deum genuit, portæ cæli meretur titulum, quia quotquot cæli sunt incolæ, per potentissimam ejus intercessionem quasi per scalas, ipsâ ducente, ascenderunt, ipsâ cæli januam aperiente, intraverunt. Sic docet de sanctis antiqui Testamenti S. Bernardinus Senensis. tom. 1. serm. 6. art. 1. cap. 4. Omnes liberationes & indulgentias factas in veteri Te-

stamentis



stamento, non ambigo, Deum fecisse, solum propter hujus peculiaris  
 verentiam & amorem, quibus eam Deus prae honorandam in  
 cunctis suis operibus ab aeterno praordinavit. De sanctis novi Te-  
 stamenti testatur purpuratus S. R. E. Cardinalis Hugo. tom. 1.  
 ferm. 6. *Multi per intercessionem Mariae sunt sancti in caelo,  
 qui extra illam, eam nunquam pervenissent. Idem de feliciani-  
 marum è purgatorio liberatione reddit testimonium, super  
 Cant. B. V. Ad Mariam respiciunt, qui degunt in purgatorio,  
 ut liberentur. Quid de nobis in hac lachrymarum valle vitam  
 degentibus dicam, quibus mille clypei pendunt ex Maria. Cant.  
 4. cap. cui nimirum mille sunt nos miseros peccatores intro-  
 cendi ad caelum modi. Patriarchaliter S. Germanus Praefectus  
 Constantinopolitanus. Orat. de Zona. B. V. *Tuis interpe-  
 rationibus, & intercessionibus, Deo nos efficit familiares, dum so-  
 lutem, & ab aeterno liberat supplicio. Subscribit S. Anselmus  
 in Orat. ad B. V. Sicut enim, o beatissima! omnis à te or-  
 sus, & à te despectus, necesse est, ut inereat; ita omnis ad te  
 conversus, & despectus, impossibile est, ut pereat. Ad te hu-  
 militer nos convertimus, ne despicias nos in agone miseris,  
 o digna caeli Janua.**

### CONCEPTUS III.

Juxta crucem Filii sui patientis, stetit Matrem dolo-  
 ram, refert S. Joannes Evangelista. *Stabat autem juxta  
 crucem Jesu Mater ejus, & soror matris ejus.* Joan. 19. cap. 25  
 quibus verbis canit Ecclesia. *Stabat Mater dolorosa, juxta  
 crucem lachrymosa, dum pendebat Filius.* Oritur tamen que-  
 stio non inanis, si stetit Maria juxta crucem Jesu, ex qua par-  
 te stetit? ad dexteram, vel ad sinistram? non ad dexteram,  
 conqueritur enim Jesus per os David. *Considerabam ad dex-  
 teram, & videbam, & non erat, qui cognosceret me.* Psal. 141.  
 Stetit ad dexteram lachrymosa Mater, Filium utique do-  
 lorosa cognovisset, cum ergo ad dexteram videns Verbum  
 Dei incarnatum, neminem fuisse, qui se cognosceret, non  
 vidit.



testetur, ad dexteram JEsu stetit, Maria non potuit, rectè igitur unanimi consensu tuentur S. Bernardinus Senensis, & doctissimus Alexander de Ales, Mariam Virginem in monte Calvariæ stetit à sinistris Christi crucifixi, & non à dextris. Cur à sinistris Filii sui stare Dei Genitrix voluit? Considerandum est, dexteram esse justorum, sinistram verò peccatorum locum, juxta illud Matth. 25. cap. *Statuet oves quidem à dextris, hædos autem à sinistris.* ubi per oves justi, sive electi, per hædos autem peccatores, sive damnati intelliguntur. Juxta crucem JEsu, à sinistris, ex parte peccatorum Maria stetit, *ut oraret pro peccatoribus.* ait S. Bernardinus Senensis. *serm. 1. de Nomine Mariæ cap. 3.* quatenus per ejus intercessionem collocaremur à dextris, per eam salvemur, per hanc cæli Januam intraremus in gaudia Domini nostri. Consolatè loquitur doctissimus Guilielmus in cap. 1. Cant. apud Delrium. *Qui in judicio à sinistris erunt collocandi, tuâ intercessionè efficies, ut collocentur à dextris.* Effectum hujus intercessionis illâ ipsâ adhuc horâ expertus est Dismas latro in cruce, qui ultimâ vitæ suæ horâ à Christo felix inaudiit: *Hodie mecum eris in paradiso.* Lucæ 23. cap. Unde latro ille, qui pessimam duxerat vitam, latrociniis aliisque nefandis sceleribus addictus fuerat, tantum beneficium sumpsit, ut tandem vitæ termino proximus, animæ suæ salutem obtinuerit? Quænam erat porta illa, per quam ter felix latro adhuc die mortis suæ jussus est, introire paradysum? Ad propositum respondent S. Petrus Damianus apud Mendoz. tom. 2. S. Anselmus. de Excellent. Virg. Dionysius Carthusianus, Hesichius Hierosolymitanus, & alii, qui omnes volunt, precibus Mariæ Virginis, quas illa stans sub cruce fudit ad Christum jam crucifixum, fuisse bonum latronem salvatum. Verba S. Petri Damiani audiamus. *Idcirco salvatus est bonus latro, quia beata Virgo inter crucem Filij, & inter crucem latronis posita, Filium pro latrone deprecabatur.* Quis jam neget, Mariam mediam inter utramque crucem, Filii scilicet, & latronis, portam fuisse, per quam bonus latro in paradysum introivit. Loquatur pro me Bernar-



nardus, serm. in Sign. Magn. De plenitudine Maria accipiunt omnes, Angelus latitiam, iustus gratiam, peccator paradysum, & veniam. Finem imponat Sapiens invitator. Prov. 8. cap. Beatus homo, qui vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad postes ostii mei, qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino. Anima nimirum salutem, & vitam æternam; per te, ô Maria! ô dulcis paradisi Porta!

Epilogus.

Mariam igitur triumphalem cœli Januam, humili cultu quotidie, singulis horis pulsemus, quatenus per eam ad cœli gaudia introduci mereamur, invocemus eam cum S. Germano Patriarcha Constantinopolitano. in Mariali à Maratio edito. Orat. de Annunt. B. V. O dulcissima Mater nostra Maria, unica spes & refugium anima nostra, ad te nos filij Eva, nos miseri & peccatis pleni, nos damnatione digni, merito clamamus, suspiramus, & flebili voce supplicando accedimus, & invocamus quatenus digneris recordari, quia pro nobis peccatoribus es electa, pro nobis ad tantam dignitatem erecta, & idcirco nos tuo Filio recommenda, dulci Jesu, Deo nostro nos reconcilia, & digni frui in cœlesti patriâ. Amen.

*Quis non imploret, te Virgo Mater honoret,  
Qua nos mortales, sola beare vales.  
Per te salus orta est, cœli dignissima Porta,  
Illi aperire fave, qui pie pulsat, ave.*

